



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

486. An causas arduas & in specie matrimoniales cognoscere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

liorem censent Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. 6. n. 155. Molin. de iust. tom. 6. tract. 5. d. 11. n. 6. & alii apud Dian. p. 3. rr. 4. resol. 35. Item Azor. loc. cit. Ed quod indulgentias concedere sit actus jurisdictionis, ut D. Thom. in 4. dist. 20. q. 3. a. 3. & sic etiam Legatus Apostolicus, etsi non sit sacerdos, possit eas concedere; cumque jus dicat simpliciter, Capitulum succedere in jurisdictione Episcopi, non sit, quod nos restringamus ad jurisdictionem necessariam, non voluntariam. Addit verò Azor, in hoc convenire omnes, tutius esse, ut Capitulum committat alicui Episcopo, ut eas concedat nomine Capituli. Quamvis Diana loc. cit. dicat, se non probare, quod ait Pavin. nempe debere Capitulum sic ut Episcopum dictum nondum consecratum eas concedere per alium Episcopum consecratum, quem ad id vocet; ed quod concedere indulgentias non sit Ordinis, sed solius jurisdictionis.

Questio 483. An Capitulum sede vacante approbare, & exponere possit confessarios?

1. **R**esp. id posse Capitulum per Vicarium à se electum; cum hic actus approbandi non sit actus formaliter Ordinis, aut Dignitatis Episcopalis; sed jurisdictionis ordinariæ. Barbof. loc. cit. n. 110. citans Suar. tom. 4. de posit. d. 28. s. 5. num. 5. Henriq. in sum. l. 3. de penit. c. 6. in princ. Fagund. in præcept. Eccl. præcept. 2. l. 7. c. 2. n. 54. Dian. p. 3. rr. 4. resol. 46.

2. Extendendum hoc ipsum erit ad Capitula inferiora, quorum Prælatus defunctus exemptus jurisdictionem quasi Episcopalem habebat in populum fidelium; cum & tales Prælati potestate ordinaria confessarios approbare possint; quippe qui sub nomine Episcopi veniunt in Tridentino in ordine ad hoc punctum, ut Dian. loc. cit. & Ludov. à Cruz. in Bull. cruciatæ d. 1. c. 2. dub. 24. n. 2. Secus tamen est, ubi hujusmodi Prælati jurisdictionem non habent in populum sæcularem fidelium, quales sunt Provinciales, & Generales Religionum.

Questio 484. An Capitulum sede vacante revocare possit ad examen semel approbatus ab Episcopo defuncto, eis que adimere licentiam & approbationem audiendi confessiones, idque etiam quò ad regulares?

1. **R**esp. primò, posse Capitulum sede vacante sæculares semel, etiam prævio examine, & simpliciter approbatus ad excipiendas confessiones revocare ad examen, & inventos in idoneos reprobare, non secus ac id potest Episcopus, dum viveret ex causa, & successor Episcopus. Manifestè sequitur ex eo, quod tradit Fagundez in præcept. Eccl. p. 2. l. 7. c. 2. n. 28. apud Dian. loc. cit. resol. 48. nempe mortuis Episcopis solere Capitulum sede vacante generali mandato revocare omnes licentias, & approbationes ab Episcopo præcedente datas. compellens, ut omnes Confessarii compareant iterum examinandi; & sic absolute tenet Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. num. 44. (qui tamen perperam addit, hanc facultatem revocandi denuo ad examen negari ipsi Episcopo, qui semel examinavit & absolute approbavit, maxime Regulares, nisi subintelligat, sine causa. Etsi contrarium apud eandem Dianam loc. cit. tenet Boisius de iubil. l. 3. c. 2. n. 47. nempe solum successorem in Dignitate. Leuren. Tract. III. De Capit. sed. vac.

tate, & jurisdictione, non autem in jurisdictione tantum, ut est Capitulum sede vacante, posse semel absolute approbatus iterum ad examen vocare, & approbare, vel improbare, prout noverit esse vel non esse idoneos.

2. **R**esp. secundò: Capitulum sede vacante posse quoque, quantum est de jure, revocare datam approbationem Regularibus, & in specie etiam Mendicantibus, tradit quoque loc. cit. Fagundez. Non posse tamen id Capitulum ob speciale illis super hoc ipso (nimirum, quò minus possit à Capitulo sede vacante approbatio à defuncto Episcopo iis concessa, uti & facultas prædicandi, & aliqua vota in alia pia opera commutandi adimi) datum privilegium, cujus meminit Sylv. v. confessor. n. 4. q. 3. Rodriq. tom. 1. Bullar. fol. 36. Boisius loc. cit. apud Dian. Adeoque jam ubi istiusmodi generali mandato revocarentur per Capitulum ad novum examen omnes approbati à præcedente Episcopo, non tamen comprehenderentur Regulares; & quamvis de iis quoque specialiter, & expressè loqueretur, istiusmodi edictum, seu mandatum, adhuc nullius esset momenti; cum sit directè contra eorum privilegium, & Capitulum sede vacante nihil possit innovare quò ad Regulares. Fagund.

3. His tamen non obstantibus Regulares semel absolute approbatus revocari posse ad novum examen à defuncti successore in dignitate, & jurisdictione, tradit loc. cit. Boisius; ed quò concessum eis privilegium sit solum quò ad Capitulum, non verò etiam ad successorem in dignitate, & jurisdictione, qualis est successor Episcopus. Cujus etiam rationem addit hanc, quòd Episcopo successori plus quam Capitulo voluerint summi Pontifices pro quiete suæ conscientie remanere liberam potestatem subjiciendi novo examini regulares Sacerdotes absolute approbatus; quia Capituli jurisdictio, & gubernatio ob vacationem sedis regulariter parum durat, & pro illo tempore noluerunt Pontifices Regulares absolute approbatus exhiberi novo examini; Successoris verò Episcopi jurisdictio, & regimen regulariter diu durat.

Questio 485. An Capitulum sede vacante cognoscere possit de causis in prima instantia?

Resp. affirmativè; quia Tridentinum sess. 24. c. 20. causas omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sunt, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognosci vult; ergo hæc potestas, utpote concessa, & annexa perpetuò dignitati episcopali est ordinariæ jurisdictionis; adeoque transit in Capitulum. Barbof. loc. cit. n. 85. citans Riccium in præcept. aurea. resol. 130. Dian. p. 3. tract. 4. resol. 21. citans Morell. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 42. ubi is sic ait: Deducitur, posse Capitulum sede vacante cognoscere causas in prima instantia, ita, ut non possit alius iudex Romanæ Curie cognoscere de iis in prima instantia, nec monitoria decernere ad extrahendas partes à suis domiciliis: & ratio est; quia hoc privilegium habent Episcopi jure ordinario &c.

Questio 486. An Capitulum causas arduas, & in specie matrimoniales cognoscere, & expedire possit?

1. **R**esp. ad primum: potest cognoscere de causis arduis. Barbof. loc. cit. n. 72. Pith. ad rit. de major.

Q. 2.

major & obed. n. 70. Laym. in c. cum olim. tit. eod. n. 13. Generaliter enim loquendo non prohibetur Capitulum causas graves, & arduas cognoscere; cum talis generalis, & absoluta prohibitio Capitulo facta non reperitur. Laym. & Pirh. *ll. cit.* Et in specie posse Capitulum de causis criminalibus, & adhuc magis in specie de causa hæresis (quæ inter causas graves & arduas reputantur) cognoscere, dictum est supra.

2. Resp. ad secundum: Sic quoque de causis matrimonialibus (quæ & ipsa inter causas arduas & graves reputantur. *c. 1. de consang. Sbroz. de potest. Vicar. l. 2. q. 23. num. 10. & 18.*) cognoscere potest. Laym. Pirh. *ll. cit.* Dian. p. 8. tr. 4. resol. 22. Barbof. *loc. cit. n. 102.* citans Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. g. 5.* Covar. *de spons. p. 2. c. 8. §. 12. n. 1.* Porro hæc intelligenda de causis matrimonialibus ex ordinaria jurisdictione; non verò, si causa quædam matrimonialis specialiter delegata fuisset Episcopo aut ejus Vicario, monet Barbof. *loc. cit. ex Riccio.* Dum itaque Tridentinum *sess. 24. c. 20.* ait: *causam matrimonialibus & criminalibus Episcopi tantum examini relinquuntur*; excluduntur solum Prælati inferiores, non verò Capitulum. Barbof. Dian. *ll. cit.* juxta dicta à nobis supra.

3. Resp. tertio: Causas tamen arduas intelligendo per eas illa, quæ valde ardua sunt, & secundum consuetudinem Ecclesiæ solis Prælati, seu capitibus Ecclesiarum competere censentur; expedire (quod aliud est, quam cognoscere) nequit, nisi necessitate cogente. Pirh. Laym. *ll. cit.* Talia sunt visitare, synodum cogere &c. de quibus in specie infra.

Questio 487. Num Capitulum sede vacante possit assistere matrimonio, alterve dare licentiam assistendi.

R Esp. affirmativè. Barbof. *loc. cit. n. 36.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 28. n. 3.* Cóninck. *de sacramentis & cens. tom. 2. d. 27. n. 17.* & seipsum *de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 132.* Dian. *loc. cit. resol. 49.* ubi ait, sub nomine Ordinarii, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest in *c. 1. sess. 24. Concil. Trid. comprehenditur Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius generalis*; cum in omni jurisdictione ordinaria succedat Episcopo; & ita docet Gurtier. *de matrim. c. 66. n. 5. & 13.* Pontius *de matrim. l. 5. c. 10. n. 4.* Bossius *c. 4. §. 21. n. 59.*

Questio 488. An Capitulum sede vacante cognoscere possit causas feudales, & infeudare?

1. R Esp. negativè. Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. q. 12. §. n. 4.* citans Pavin. *q. 7. n. 8.* ubi expressè Capitulum sede vacante non succedit in jure cognoscendi causas feudales. Azor. *l. 3. c. 39. q. 2.* ubi: Capitulum minimè cognoscere valet de causis feudales, de quibus cognoscere non posset, si viveret Episcopus. Hinc etiam est, quòd nequeat facere novas investituras, aut veteres renovare, aut fidelitatis juramentum à feudatariis recipere, ut Host. Abb. Innoc. *in c. nihil. de elect.* Idem tradit Pirh. *loc. cit. n. 52.* ubi: Capitulum Cathedrale sede vacante non succedit in jurisdictione feudali; ideòq; controversià ortà de feudo spectante ad solum Episcopum, eòque si aperiatur devolvendo ad mensam episcopalem, non potest de eo cognoscere Capitulum. *c. verum. de foro compet. juxta gl. v. mota questio*; quia in iis, quæ Episcopo jure speciali & ex-

traordinario competunt, non succedit Capitulum.

2. Secus est, si feudum ad Episcopum, & simul ad Capitulum spectaret; tunc enim Capitulum sede vacante de eo cognoscere, & infeudare potest, nempe si ex consuetudine feudum iterum conferri soleat. Pirh. *loc. cit.* citans Jo. And. *in cit. c. verum. num. 9.* Abb. *num. 8.* Laym. *de jurisd. ordin. concl. 89.* Quòd si verò feudum ad solum Capitulum spectaret, super hoc cognoscere & investire posset, etiam sede plenà; & sine Episcopi consensu. Pirh. *ibid.* citans Rosenthal. *tract. de feudis. c. 4. concl. 26. num. 2.*

Quest. 489. An Capitulum sede vacante exequi possit ultimas voluntates, easque mutare, cogere item executores testamentorum ad exequendum, reddendisque rationes de facta piarum voluntatum executione?

1. R Esp. ad primum: potest exequi ultimas defunctorum voluntates, quatenus jure ordinario competebar Episcopo. Dian. *loc. cit. resol. 24.* Pirh. *n. 47.* Azor. *l. 3. c. 39. q. 6.* Barbof. *loc. cit. n. 76.* citans Molin. *ubi supra.* Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 7.* Quarant. *v. Capit. sed. vac. Zerol. in pr. p. 2. v. Capit. §. 6.* Covar. *in c. Ioannes. de testam. n. 2.* Navar. &c. Sic itaque poterit pauperes eligere, in quos hæreditas in hunc usum relicta distribuat, ubi nulli curatores, vel executores ultimæ voluntatis sunt dati; vel si dari, eam non curent exequi. Dian. Azor. *loc. cit.* citantes Calder. *conf. 20. de testam. Pavin. ubi ante.* Item poterit diem executionis prorogare. Dian. Azor. *ll. cit.* citantes Dominic. *in addit. ad Consilia. Calder. conf. 3. de off.* In executione tamen testamentorum speciali jure competente Episcopo non succedit Capitulum sede vacante. Barbof. *loc. cit.* citans Pavin. *p. 2. q. 7.* Azevedo. *conf. 11. num. 9.* Rationem dabimus Respons. seq.

2. Resp. ad secundum: Potest commutare ultimas voluntates in casibus, in quibus de jure communi id potest Episcopus. Dian. *loc. cit. resol. 34.* citans Molin. *ubi ante. n. 5.* Monetam *de commutatione ultimæ volunt. c. 5. n. 477. cum seq.* Barbof. *loc. cit. n. 101.* citans insuper Cuch. *Instit. major. l. 3. tit. 9. n. 82.* dubitari enim nequit, quin commutatio ultimæ voluntatis sit actus jurisdictionis episcopalis. Dian. *loc. cit.* Secus iterum est, si non succedit Capitulum in commissionibus commutationis ultimæ voluntatum quæ sunt Episcopo in casibus, in quibus jure ordinario non posset Episcopus commutare. Dian. *loc. cit.* citans Molin. & Monet. *ubi ante.* Tum quia, quæ jure speciali delegato competeant Episcopo, non transeunt in Capitulum. Et sic speciales commissiones factas Episcopo non transeunt in Capitulum sede vacante, sed in successorem, si factæ sunt sub nomine Dignitatis, est textus in *c. quoniam Abbas. de off. deleg. 1.* Si verò factæ sunt sub nomine personæ, expirant cum persona; eò quòd jam deficiat subiectum, cui inhæret commissio, ut DD. *in cit. c. quoniam Abbas.* & Sanch. *de matrim. l. 8. d. 27. n. 2.* Ita ferè Dian. *loc. cit.*

3. Resp. ad tertium: Succedit Capitulum in potestate compellendi executores testamentorum ad ea exequenda intra annum, & ipsis negligentibus ad executionem illorum, juxta *c. tua.* & *c. Ioannes. de testam.* Spectat enim hoc ipsum ad jurisdictionem Episcopi ordinariam. Dian. *loc. cit. resol.*